

**DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
DE
HÄEMOPTYSI,
Q U A M
CONSENSU ET AUCTORITATE
MAGNIFICI DOMINI
PRAESIDIIS AC DIRECTORIS
SPECTABILIS
DOMINI DECANI
NEC NON CLARISSIMORUM
D. D. PROFESSORUM
PRO
GRADU DOCTORIS MEDICINAE
RITE CONSEQUENDO
IN ALMA AC CELEBERRIMA
R. S. UNIVERSITATE HUNGARIAE
CONSCRIPSIT
LAZARUS KLEIN,
ARTIS OBSTETRICIAE MAGISTEB.**

Theses adnexae publice disputabuntur in Palatio R. Sc.
Universitatis majori die mensis Julii 1835.

**PESTINI,
TYPIS TRATTNER-KÁROLYIANIS.**

**FRATRUM PARV
DILECTISSIMO**

JULIO STEPHANO LEOPOLDO KLEIN.

MEDICINA ET CHIRURG. DOCTORI;


MEDICO R. BORUSS. IN GRAECIAM LEGATIONI
ADJUNCTO

NEC NON

ARMINTO KLEIN

SPECIMEN HOCCE INAUGURALE

D. D. D.



Auctor.

Nomenclatura

Haemoptysis; *Haemoptoë*; *Emptoe*, (*Gordon*); *Passio haemoptoica*; perperam *Haemophthisis* (sanguinis exulcerationem juxta etymon vocis designans); ἀναγωγή τοῦ αἷματος *Arctaei*; *Haemorrhagia pulmonum*; *Pneumonorrhagia*; *Apoplexia pulmonum*, *Dolaeus et Laennec*; — *Sanguinis sputum*; *Sanguinis fluor*; *Cruenta expulsio C. Aureliani*, illam a *sputis cruentis* in *Pneumonia* occurrentibus qua proprium morbum distinguenter; — *Vomitus pulmonum*; — *Vérkôpés*; *Vérpökés*; — *Blutspucken*; *Blutspehen*; *Bluthusten*; *Blutsturz*; *Lungenblutfluss*; *Lungenblutssturz*; *Lungenschlag*; — *Hémoptisie*; *Crachement de sang*; *Apoplexie des poumons*; — *Spitting of Blood*; *Coughing up of Blood*; — *Emotisi*; *Sputo di sangue*.

Definitio

Haemoptysis, exactius fors *Pneumono-haemorrhœa* nominanda, rarissime morbum sui generis, verum aliarum symptoma aegritudinum passim

constituens, juxta formam morbi est : Sanguinis ut plurimum spumosi, sinceri, frequentissime purpureo- rubri, rarius fusco- nigri ex cavo oris, saepe et narium ejectio ; et quidem per tussim aut screatum, quem calor adactus, dolor oppressivus pectoris et titillatio juxta pharyngem decurrentes, praecedunt. Essentiam morbi perpendendo, *haemoptysis* est : Secretio (effusio) et excretio morbosa sanguinis in pulmonibus. Profluvium hocce, pro diverso gradu, quo manifestum fit, diversis insignitur nominibus, ita ut *sputum cruentum*, sputa designans mucosa, striis solum sanguineis notata, omnibus pneumoniis phlegmonosis et catarrhosis gravioribus commune, insimum gradum *haemoptyseos* denotet, quae stricte sic dicta, ob periculum in mora et curae modificationem, a medicis quam plurimis inter morbos autonomos, (perperam esto) translata, ad altissimum gradum evecta, *Pneumonorrhagiae* seu *Apoplexiae pulmonum* nomine donatur.

Divisio Haemoptyseos.

Considerando generatim prosluviorum qualiuscunque in organismo humano scaturiginem primam, eam, vel in viribus, functionem alicujus organi regentibus, laesis, vel in ejus textura structurave abnormi reperiemus, ita ut ecriseos omnis duplex sit origo, adeoque et natura. Etenim sistit symptoma aut morbi dynamici, aut morbi organici, vel, sit novae venia expressioni, ec-

crisim dynamicum vel organicam. Interius indagando in prosluvii dynamici causam proximam illam, non nimis difficulter in quantitate virium in plus vel minus deflectentium, abnormi inveniemus. Verum enim vero vel oritur eccrisis dynamica ex hypersthenia virium, functionem organorum gubernantium, imprimis vero arteriosarum vel ex asthenia earundem. Morbus itaque e diametro oppositus eandem producit noxam. Juxta hanc conditionis pathologicae diversitatem, imo et contrarietatem, omne prosluvium dynamicum qua istius pedissequum, recte in *hypersthenicum*, seu *inflammatorium*, *congestivum*, *symploreticum*, cum hypersthenia omnis in vasis, specialem sistentibus prosluviorum fontem, inflammatione aut congestione se manifestet, et in *asthenicum*, *passivum* distinguemus. Principia haec aegritudini, de qua nobis fusius tractare propositum est, adaptando, nullam *haemoptoēn* agnoscimus, quam non vel ex *ritio dynamico* vel ex *ritio organico* derivare queamus. Haemoptysin autem ex primario scatlientem fonte vel ad *hypersthenicam* vel ad *asthenicam* omni jure referimus eccrisim.

I. *Haemoptysis ex ritio organico* est illa, quae viribus arteriosis illibatis, aut secundario modo affectis ex textura structurave vasorum primitus, ac praecipue laesis, procedit. Haec, juxta diversitatem potentiarum, diverso modo organisationem offendentium, sequentes sibi subjectas agnoscit species:

a.) *Haemoptysis ex traumate*, cum emphysemate utplurimum complicata. *Diairesis veterum per vulnerationem*. Pertinet ad forum chirurgicum

b.) *Haemoptysis ex rhexi, diairesis veterum per ruptionem*. Juxta celeb. *Laennec* duplice haec ruptura vasorum obtinet ratione; vel nimirum per aneurysmaticam aut varicosam eorum extensionem, vel per erosionem vasis, cavitatem tuberculi cujusdam permeantis; in quo ultimo casu tamen haemoptysis ad sequentem referri meretur varietatem

c.) *Haemoptysis ex diabrosi; diairesis per erosionem*; si vasa, per potentias utplurimum chemicas, in elementorum stoechiometricorum proportione talem alienationem perpetiantur, ut penitus delecta ac degenerata appareant. Huc profluvia cruenta pulmonum, in phthisi, in inhalatione vaporum metallicorum, acidorum, acrum e. s. p. Memoratu dignum ceteroquin manet in phthisi, penes corrosionem pulmonum nonnunquam totalem, haemorrhagias eorum tam raro locum habere, cujus rei fors aliqua dari poterit explicatio, per inflammationem periphericam ulceris, quae antequam, vas quoddam consummatur, illius concretionem cum partibus vicinis efficit.

II. *Haemoptysis ex vitio dynamico* dicitur illa, quae in irritabilitate vasorum quocunque demum modo vitiata, primariam agnoscit et proximam causam. Haec iterum est:

a.) *Haemoptysis hypersthenica, congestiva, symphoretica*, cum *synocha Reil*, et *Haase*. Irritabilitate vasorum simpliciter adacta. Symptoma aut comes periculi plenus, pneumonitidum et bronchitidum. Hujus modificationem sistit :

α.) *Haemoptysis erethistica, spasmodica, Haemoptysis cum typho Reil*; irritabilitate vasorum erethistice adacta.

b.) *Haemoptysis asthenica, passiva, torpida, Haemoptysis cum paralysi Reil et Haase*, in qua vasorum pulmonalium irritabilitas summa opere prostrata cernitur. Huc quoque referenda esset *Haemoptysis ex anastomosi Haasii*, quae juxta auctoris mentem in oscularum vasorum ultimorum relaxatione et dilatatione consistit. Ast quum haec nequaquam in organismo detergentur, imo, vero multum similius sit sistema vasorum, totum in semet ipsum clausum esse; hinc subtilis haec et hypothetica ac omni practico destituta valore assumta haemoptysis species, cum aliis innanibus et obsoletis profluvii illius divisionibus, merito rejicitur.

Organorum respirationis structuram et functionem rite perlustrans, minime mirabitur, longe plurimos Haemoptoe casus, ex inflammatione aut congestione ortum ducere, pauciores in vitio organico, paucissimos in asthenico eorum statu et si hoc fiat, secundario utplurimum modo

radicari. a.) — Tractabimus speciatim de Haemoptysi dynamica.

Nosographia morbi.

A.) *N. H. actirae.*

Prodromis haemoptoës activae passim adnumerantur omnia, congestiones versus pulmones indicantia. Respiratio difficultis, anxietas pectoris, inquietudo et dysphoria insignis agmen symptomatum ducunt. Calor fugax, in facie inprimis observandus, cuius genae rubore circumscripto superbiunt, cum horripilationibus frequentius redeuntibus alternat; sequuntur nunc tussis siccata, dolor punctorius vel obtusus, oppressionis sensationi junctus. Saepe delassatio notabilis et somnolentia, somniis terrificis interrupta, nec non cephalaea accessum haemoptoicum praesagiant. Sic et sensus molesti in regione epigastrica, vel hyponchondriis ab observatoribus notantur, quibus frigus extremitatum, oscillationes et susprium accessisse, alii experiebantur. Brevi ante accessum, pulsus cernitur frequens, durus, non raro contractus; aeger de calore interno substerno (*Iretaenus*) aut dorso quasi accumulato conqueritur, saporem simul salsum aut subdul-

a.) E tot tantisque h. speciebus, quas mihi in schola clinica Vindobonensi per biennium osservare occasio fuit, nec unius reminiscor, quae cum bronchitide aut pneumonitide conjuncta non incederet, aut potius, quae morbos hos non genitores agnosset.

cem aduersans. Non desunt tamen haemoptyseos casus, qui, ni titillationem in palato et saporis sensum peculiariter affectum excipias, omnibus carent prodromis. Accessus haemoptoicus, sicuti *Rush*^{a.)} profert, tunc lubenter ingreditur, dum aeger quietum se habet. Periculosissimae H. noctu imprimis terrere amant, quod jam *Hippocraticis* notum, qui sub somno imprimis, congestiones ad organa interna fieri, sagaces statuebant.^{b.)}

Doctissimus *Naumann* argute, duas haemoptyseos (activas) distinguit formas, a gradu maiore v. minore diversitatem personae mutuantes ^{c.)}

a.) Respiratio est anxia, dolorifica, facies consuetim rubra, sub invasione pallescit, frigetque, sic et extremitates; labia tremunt; Aeger, cujus pulsus ante accessum durus fortis et aequalis, illo durante mollis parvus et inaequalis redditur, saepe deliquio proximus. Mox sub tussicula, non nimis urgente sanguinem lacte rubrum ejicit, initio muco aut saliva inquinatum, dein meracum, nonnunquam per os et nares simul magno impetu prosilientem. Saepe II. tussis valida praecedit, quam si aeger improbo studeat impedire conatu, respirationis molestiae augentur, donec profunda inspiratione peracta, sub

a.) Med. Unters. und Beobachtungen. A. d. Engl. Leipzig. 1792. p. 210.

b.) ἔπειρος φεύγει. Epidem. L. VI. Sect. V. nr. 46.

c.) Handbuch d. med. Klinik v. Dr. M. E. A. Naumann, Berlin 1820. I. B. p. 166.

constrictione pulmonum spastica ac tussi vehementissima, rivos profluat sanguineus. Saepè tussis ex integro abest, praesertim tunc, si secretionem haemoptysis vicariam agat, quo in casu et febris desideratur. Singula accessio tribus, quinque usque viginti horae sexagesimis durans, omni nychthemero bis, quater aut sexies aegrum divexans, per plures dies eadem ratione saevit, quod tunc praeprimis timendum, si aeger multum tussire coactus sit, si loquax laryngi parcere nequeat, si impatiens brachia et truncum quaqua-versum movere et dirigere non cessen, si incautus tepida ingerat potulenta. Subinde terror, ira, aut repentina e somno evigilatio haemoptoën invitare consuescunt. Accessum haemoptoicum, per plures dies, omni vespera, versus sextam horam post horripilationes breves, pallore nasi et digitorum apicum atque anxietate peculiari stipatas, ingruisse, *Reilius* ^{a.)} observavit, quiescente fere omnium symptomatum de die cohorte. Die septima crisis insequuta. (En facies pneumoniae catarrhosae, accidentalī haemorrhœae pulmonalis symptomate stipatae!) — Si demum expulitio sanguinea longiori duret tempore, respiratio strepens et peculiariter clangens evadit, ac si aër per fluidum quoddam cogeretur. Mucus quoque excretus, diu adhuc sanguine contaminatus et colore quasi roseo notatus permanet. Nonnunquam sub finem paroxysmi sanguis colorem nigrum

a.) *Fieberlehre.* Theil III. S. 93.

offert, vel etiam forma grummarum fuscescentium, imo raris in casibus penitus solidescens semet conspectui tradit. Primis sub accessibus, ab aliquot drachmis usque sex ad octo unciarum cruor effluit; nonnullis in casibus plures prosiliisse videbantur librae. *Rhodius*, ^{a.)} spatio trium horarum viginti octo libras profluentes, observavit(?). *Reil*, cuius auctoritas magis nobis arridet, pluries una vice tres usque quatuor libras erumpentes vedit. *J. Frank* paucis diebus tali ratione 192 uncias ab homine deperditas fuisse in opere suo eximio ^{b.)} narrat. *Weigel* casum adducit, in quo 500 librae (mirabile dictu!) sensim sensimque ex pulmonibus effluxere. ^{c.)} His in casibus, meraea congestio ad vasa capillaria causam ingentis profluvii insufficientem sisteret, adeoque plurimos illorum vel ad haemoptyses passivas, vel quod saepissime fit ad organicas et quidem ex rhexi vel traumate exortas, lectoribus mecum relegare fors non displicebit.

b.) In altiori morbi gradu, qui recentioribus *apoplexia pulmonum*, aut *pneumonorrhagia* nominatur, aeger cum repentina abolitione sensuum et motuum voluntariorum, qua modo stat aut sedet, sui inscius corruit, summa difficultate halitum dicens. Facies pallore cadaveroso terret, frons sudore frigido tegitur, cutis tota quanta

a.) *Observat. Caput II. Observ. 37.*

b.) *Prax. med. P. II. Vol. II. Sect. I. p. 410.*

c.) *Italien. Biblioth. Bd. III. p. 1.*

glaciei adipiscitur temperaturam, oculi fixi, torvi, immobiles, penitus aut maxima pro parte clauduntur; Pulsus vix tangentus. Vel antequam aeger conscientiam perdidisset, vel postquam illam pro tempore deperditam, recuperasset, sub tussi violentissima, fluvii instar sanguis ex ore prosilit, respiratione nonnunquam per vehementissimam spasmis pulmonum constrictionem, intolerabili cum anxietate pro momento fere suppressa. Caeteroquin quo major quantitas sanguinis effluit, eo mitior esse solet tussis, et tunc, post profundam inspirationem, latex vitalis tanta vehementia ac quantitate prorumpit, ut syncope ingruente, circulus sanguinis, et cum illo profluvii ferocia sistatur. — Vox et loquela passim perfecte aboluntur. Et illa haemorrhagia saepius redit, et quidem brevissimis temporis intervallis, licet cum diminutione gravitatis symptomatum sui terribilium. Pulsus tunc duri, parvi, frequentissimi fiunt, aeger magnam anxietatem et dysphoriam accusat. — Nonnunquam aeger moritur, quin vel guttulam sanguinis perdidisset sub oppressione pectoris maxima, respiratione stertente et strepente, sphincterum paralysi, convulsionibus levibus et pulsibus arteriarum cordisve disparentibus (*Pneumonorrhagia occulta, interna*). Leto sub accessu pneumonorrhagico feliciter evitato, (eventus proh dolor rarissimus) conscientia cito redit, respiratio placidiorem se habet, pulsus revicit. quos cel. Laennec post plures adhuc

dies molles, debiles, et peculiariter vibrantes, observavit. Lassitudo quoque diutius remanet, sic et cutis tarde temperaturam normalem recuperat.

B.) Nosograph. H. erethisticae. a.)

Haec II. species a nonnullis etiam *pneumorrhagia spasmatica* dicta occurrit in hominibus insigni systematis nervosi mobilitate provisis, et consistit in congestione activa sanguinis non nimis phlogistici, versus vasa minori robore ac majori agilitate et stimulus levissimos facilius percipiendi potentia, instructa. Aeger anxius, mutationibus temperaturae frequentius obnoxius, pulsum offert parvum, contractum, spasticum; Accessus haemoptoicus frequenter rediens aegrum nimiopere debilitat, et chronicæ pneumoniae, in phthisim, ut plurimum tuberculosam lubenter transeunti, ansam dat. Quo magis vehementia sua spasmi cutanei et peripherici terrent, eo insignior etiam paroxysmus insequi solet. — Hujus varietatem sistit *H. habitualis*, morbus constitutionalis, ut plurimum haereditarius, habitui phthisico adnexus, et semper phthisi vera finiens; ejusmodi accessibus consuetim tussis sicca praecedit, qui aegrum praecipue vere torquent. Praeterea aegri illius farinae, anxii, morosi, iracundi, marcescentes, rauca voce loquentes et in sudores dispositi observantur.

a.) Stol. Rat. medend. T. III. p. 20. — J. Frank Prax. med. I. c. p. 449.

C.) *Nosograph. H. asthenicae.*

Rarissime primaria, indirecto modo vix non semper oritur. Post recidivas plures, energia et turgor vitalis in pulmonibus decrescunt, ita ut levissimis ex causis in vasis aneurysmatice aut varicose extensis sanguinis insequantur exsudationes. Omnis igitur H. nisi primis sub accessibus, infausto omine letum inferat, juxta clarissimum *Naumann* in adynamicam vergit; quod tamen insignem pulmonum irritabilitatem perscrutaturus, vix assumere valebit. Prae aliis ad hanc H. speciem, profluvia cruenta vix sistenda referuntur, quae sub fracto haematopoëeos opere, et exorta sanguinis dyscrasia septica, in febri putrida, in cacochymia mercuriali, et scorbuti maximo gradu obtinet. Aeger tunc, cruentum spumosum, atrum et dissolutum, rivo non interrupto ex pulmonibus emittit, qui post mortem, uti jam *Dodonaei* docet observatio, flaccidi, lividi, facile lacerandi cernuntur.

Generatim, uno accessu haemoptoico rarissime dispositio in morbum tollitur, quae potius per catenam paroxysmorum semet excipientium semper magis magisque evolvitur.

D i a g n o s i s H.

Sequentes Pneumonohaemorrhœam simulari possunt morbi:

a.) *Tracheo vel laryngorrhagia.* Desunt certe symptomata, quae specialem nobis scaturi-

ginem croris, in organis respirationis morbose secreti indicarent, quae nos nimirum edocerent, an pulmo, an bronchi, an trachea vel larynx sub haemoptysi sanguinem largiatur. Sequentia ab Auctoribus notatu digna, adducuntur. Ecclisis sanguinea lubenter ex trachea oritur, post laesiones externas et adstrictiones organorum vocis. Aeger parum tussitat, nec tantis premitur respirationis difficultatibus. Saepissime in puncto aliquo fixo laryngis aut arteriae asperae, aeger persentit titillationem aut dolorem pungentem qui tactu etiam augetur, et longo tempore ante ipsum profluvium adparet. a.) Vox peculiari ratione sibilans redditur. Caeterum, quo profundior in organis respirationis croris prosilientis fons, eo difficilior etiam erit diagnosis.

b.) *Epistaxis.* Naso, per thrombos sanguinis obturato, cror frequenter per choanas narium posteriores defluit, simulque retro palatum molle, grumus efformatur, qui pharyngem et laryngem irritando, tussim vomitumque producit, ac sic haemoptoën vel haematemesis simulatur. Ast vix, expertus quidam in re, errorem hic committere poterit.

c.) *Stomato- et palatorrhoea.* Jam Aretaeus nos attentos reddit, in possibilitatem, profluvia haec cum haemopt. vera commutandi. Eveniunt autem saepissime, in senibus, in scorbuticis, aut cohaerent cum anomaliis haemorrhoidum et

a.) Burserius de Kanifeld. institution T. IV. p. 23.

sic porro; tussis hic desideratur, et ad explorationem exactam cavi oris, scaturigo cruoris inventur, partibus hisce aqua tepida ablutis. Difficilior est distinctio, si latex vitalis ex pharynge adscendat, quia tunc et tussis et vomitus adesse possunt; ast hocce in casu sanguis colore nigre notatur.

d.) *Haematemesis.* Ut plurimum in individuis cachecticis occurrit, cohaeret cum malis abdominis chronicis, et aetate proiectiore saepissime observatur. Sanguis, vomitu magna quantitate ejectus, est ater, saepe coagulatus, nonnunquam ab admixto succo gastrico acidus. Accessum praedicunt, dolores prementes in regione epigastrica et hypochondriaca sinistra, atque anxietas praecordialis. Pectoris difficultates absunt, sed tussis vomitui semper accedere solet.

e.) *Cum apoplexia cerebri* pulmonum apoplexia tunc solum commutari posset, si aeger pneumonorrhagia tardius ingruente, sui non conscientius corruat. Juxta cl. *Hohnbaum*^{a.)}, respiratio in ambobus morbis est difficillima; ast in apoplexia sic dicta pulmonali profunda et stertorosa, in cerebrali vero anxia et suppressa illi appareat. Praeterea in priori, extremitates citissime refrescant et obstacula respirationis ingrediuntur, antequam conscientia et sensus aboliti fuerint. Niholosecius, diagnosis hic summe ardua manet, et maxima quoque *axieta* et experientia gau-

a.) M. E. A. Naumann Handb. d. med. Klinik. p. 193.

dentes viri, ad lectos aegrorum, morbos hos a se invicem distinguere cunctabuntur. Praecipuum adhuc prodromi rei lucem affundent.

Ut exactior haemoptyseos et quidem, singularum ejus specierum tam quoad indolem, tam quoad gradum, et respectivum locum notio adquiri possit, varia a viris in arte medica celeberrimis adminicula, proponebantur. Percussio *Auenbruggeri*, parum in haemoptyseos diagnosi firmando valet, sanguine extra vasa in spatio tantum exiguo aut tali loco collocato, ut negotio hocce nulla in pectore mutatio percipi queat. Cel. in morbis pulmonum indagandis *Laennec*, stethoscopicis innixus experimentis, in haemoptysi, qua secretio sanguinis in membrana bronchiorum mucosa contingit, strepitum respiratorium pectoris non abesse, in bronchiis vero, strepitum mucosum (föhleimiges Rassel) debilem, praesentem adducit, qui idem strepitus a muco productus in apoplexia pulmonum illi ingens videbatur. — Phaenomena, ex diversitate situs aegri in quem lubenter tendit, desumta, nos nonnunquam edocent de latere, in quo adfectio, cruoris profluvium producens, viget. Aegro nimirum in latere sano decumbente, sanguis ex pulmone adfecto in bronchiales effluit ramulos, sicque tussim et sui excretionem provocat, quod non, aut difficulter evenit, si aeger lateri adfecto incumbat. a.) — *Goltzius* quoque frustra in scaturiginibus sangu-

a.) W. A. Haase. Chronische Krank. Leipzig. 1820, T. I. S. 362.

nis, in pulmonibus, haemoptysi adsectorum morbose secreti specialibus inquirendis, desudavit. a.) Secundum hunc Auctorem, cruorem ex bronchiis prorumpentem, tussis valida et contumax, ac dolor oppressivus in profundo pectoris praecedunt, qui tamen jam secretus, sine tussi ex bronchiis excernitur (?). Caeterum, jam *Aretaeus* eximius ille antiquitatis morborum pictor, sanguinem purpureo-rubrum ex venis pulmonalibus, atrum vero ex arteriis merito derivavit. Quamplurimum certe haemoptysi sanguis emittitur venosus. In varices pulmonum generatim ex habitu haemorrhoidali concludimus. Secundum S. G. *Vogel*, b.) his sub rerum adjunctis sanguis sine omni adstrictione et dolore e pulmonibus ejicitur. In haemoptysi asthenica quoque, cum haemorrhoidibus aut scorbuto passim complicata crux sine omni dolore et contentione, ingenti copia profluit, ast aegrum nimiopere debilitat. — Vitiis cordis arteriarumve praesentibus minima ansa data profluviu sequitur, pulsu et respiratione simul abnormibus.

A e t i o l o g i a.

Mom. in H. activam et erethisticam disponentia.

Dispositio specialis, manifestata per habitum sic dictum phthisicum, sicuti iste, jure proh dolor haereditarie propagatur, et praeci-

a.) Dissert. de Haemopt. Regiom. 1690 § 11.

b.) Helb. d. pract. Arza. Th. V. p. 51.

pue in individuis, haemoptysi erethistica affectis observatur. Temperamento, tales chole-rico-sanguineo gaudent, et in infantia, affectibus scrofulosis et epistaxi frequenter vexantur. Arcta thoracis architectura in aetate juvenili congestionibus illac nimiopere favet, qui ob erethistice exaltatum sanguinis circulum, sensibilitatis systematis nervosi excessum indicant; et sic hujus ope organorum genitalium prematura effecta evolutione, atque per abusum veneris et onaniae tabe dorsali simul cum haemoptysi insecutis, orci faucibus traditur juvenulus. Observationibus constat, seminas irritabiles praecipue, sub coitu pneumonorrhagiis corripi, quibus, ingens in istis adfectionibus genitalium incitationis influxus, cuivis in nostra scientia expertorum facile patebit. a) Magnus ille antiquitatis medicus *Galenus* quidem adserit, b) seminas frequentius esse haemoptysi subjectas viris, verum experientia, cui majorem adhuc fiduciam tribuimus, contrarium docet. Inter decimum, quintum usque trigesimum quintum aetatis annum, dispositio maxima. c) In altiorem haemoptyseos gradum, sive in apoplexiam pulmonum habitus in primis apoplecticus disponit. His sub circumstantiis aeger, ut iam monimus, corruit, quin sanguis pro-

a) J. P. Frank Epit. Lib. V. P. II. p. 188.

b) D. loc. affect. Lib. IV. Cap. V.

c) Aph. Sect. III oph. 29.

fluat, et in cadavere solum, cultro anatomico morbus dignoscitur. Etenim, cerebrum tunc vix morbose mutatum, substantia autem pulmonalis peculiari ratione infarcta et alienata invenitur. Potentiis in *haemoptysin activam* disponentibus, adnumerantur influxus omnes systema vasorum praecipua vi infestantes. Vere, quo vita systematis haematophori simul cum universa producente eminenter viget, etiam profluvia cruenta saepissime occurunt. Diathesis talis etiam praevalente cordis arteriarumve energia observatur (Bey vorwaltender und stürmischer Energie des Herzens. a) Haec itidem chronica inducitur carditide. b) Saepe visum, in puellis robustis, exercitio musculari et aëri atmosphaericо puro ad-suetis, plethoricis, menstruorum suppressione, haemoptysin sine ullo damno exortam suisce (*haemoptysis Ticaria*). — c.) Porro fracturae ossium thoracis, rhachitis, gibbus, thoracula, disponentia in congestiones pulmonum momenta summa agunt; Sic etiam animi pathemata excitantia, gaudium repentinum, praecipue vero ira, d) cibi aromatibus conditi, potus spirituosi, abusus aquarum acidularum, atmosphæra pulveribus oppleta, sirus ardens, adstrictio

a) Kreyzig. Herzkrankh. T. II. p. 283.

b) - - - loc. c. p. 92.

c) Carus Gynaekologie Th. I. §. 158i

d) V. Svetea. Comment. §. 1198.

fortior organorum vocis, a) imprimis clamor, vagitus, et vociferatio nimia (Coulissenreizerey und heftiges Intoniren bey Schauspielern und Sängern); pulmonum immodicae et diutius continuatae contentiones, tibiarum flatus, b) cursus — vento praesertim adverso, vectio in viis lapidibus multum et irregulariter stratis. Ista potentiae nocentes, eo libentius haemoptysin provocant, quo magis per dyscrasiam ut sic dicam plethoricam adjuvantur; ideoque post magnorum artuum amputationem non inlubenter oriri videbatur. Tubercula tandem et parectamata hepatis lienisque, quae pulmones comprimendo, congestiones provocant, in haemoptysim producendam, magnum exerunt influxum; quae per physconiam quoque, polypioten (Fettsucht) et graviditatem facile induci solet. Simili ratione catarrhi chronicus, pneumoniae saepius recidivae et accessus asthmatici ad momentorum haemoptysim disponentium coetum referri merentur.

Momenta in H. asthenicam disponentia.

Huc collocantur potentiae, passivis magis congestionibus in pulmonibus sustentandis, idoneae. His vero adnumerantur animi affectus et pattemata deprimentia, moestitia, nostalgia, vita otiosa; juxta cel. Forestii assertum

a) Gal. I. c. Lib. IV. Cap. 8.

b) P. Frank I. c. p. 427.

repentina commutatio vitae laboriosae in otium taediosum; ratio vitae sedens, quapropter *Stoll* sartores sutoresque malo huicce tam frequenter subjectos autumat; *a)* nutrimenta corrupta, inedia, humorum jactura, lactatio nimis longo tempore protracta, obices quoque, qui regres sui sanguinis ex pulmonibus in cor sinistrum opponuntur, stagnationi croris in pulmonibus, ansam dant. Sic, in vitiis cordis vasorumve majorum organicis, haemoptysis non est symptoma inconsuetum, in quo casu sanguis niger dissolutus et quasi glutinosus conspicitur. Tandem influxus atmosphaerae humidae hicce commemorari potest; cel. *Fridericus Hoffmann* contendit haemoptyses (passivas) autumno praeципue observari, ast vere quoque eas grassari, post *Aretaeum Sydenhamus* confirmat. *b)*

Momenta II. excitantia.

Eadem fere sunt ac disponentium plurima, diutius agentia aut ad altiorem gradum evecta. In specie tamen adducenda erunt: Suppressio repentina haemorrhoidum, *c)* ac ephidroseos pedum habitualis aut catameniorum; *d)* metachoreses, in arthritide et exanthematibus obvenientes; praepostera exsiccatio impetiginum

a) Rat. med. T. III. p. 11.

b) Op. omnia Sect. IV. Cap. VII.

c) Stoll. I. c. T. III. p. 15.

d) Ludwig. de haemoptysi in primis catameniali. Helmst. 1796.

et ulcerum habitualium; — Respici porro debent vomitus aut tussis violenta, nixus vehementis sub partu, alvo dura, aut levatione et gestatione ponderum (H. ex rhexi) traumata, contusiones pectoris aut dorsi, praesentia peregrinorum in trachea. Hic tandem chemico-rum stimulorum mentio facienda, quo adnumerantur inhalationes vaporum acrīum, acidi nitrosi, sulphurosi, chlorii, arsenici, mercurii sublimati corrosivi in primis etc. etc. (haemopt. per diabrosim). Ultimo denique remediorum drasticorum, acrīum, stimulantiumque abusus (jalappa, gummi gutta, olea aetherea, balsama, gummi-resinae; inspiratio pulverum ex helleboro, euphorbio, senega, arnica etc. etc.) hicce commemorari meretur.

Causa proxima et nosogenia.

Causa proxima II. ex vitio dynamico consistit in secrezione, aut si mavis, exhalatione sanguinis morbosa in pulmonibus, in haemoptysi vero organica, in effusione ejusdem in parenchyma pulmonum. Secretio vero cruris morbosa, determinatur vel per exaltatam vasorum irritabilitatem, *Haempt. hypersthenica*, quae, si vasorum pulmonalium actio vitalis, robore imminuatur, agilitate vero augeatur, *haemoptysis erethistica* obtinet, vel per eorumdem actionem vitalem deprimas (*Haemoptysis asthenica*). Ipsum itaque prosluvium dynamicum, ut jam toties quoties adnotavimus, alio morbo

principali, phlogosi nimirum aut symphoresi, (verbo pneumoniae aut bronchitidi), vel atoniae et laxitati arteriarum venarumque nuptum semper occurrit, quod in haemoptysi hypersthenea, praecipue symptomatum inflammationem in respirationis organis designantium turma, demonstrat. Perpendat quis, sic ait sagacissimus Naumann, a) sensationem oppressivam pectoris simul cum omnibus affectionibus aliis, pneumoniam simulantibus, puta pulsum durum plenumque et similia symptomata, effectuata sanguinis expunctione illico cessare, et nullus non affirmabit, pneumonitidem et haemoptysim (probe notes inflammatoriam) quoad genesisim non esse diversam; ac discrimen duarum harum morbi formarum in eo ponit: quod in prima sanguis $\chi\alpha\tau' \delta\zeta\chi\eta\nu$ plasticus in vasorum summe extensorum alveis quasi coaguletur, in altera autem, extra vasa in superficies bronchiorum aut substantiam pulmonalem exhalatus, accumuletur. Hujus differentiae causa, nequaquam in majore parenchymatis pulmonum debilitate quaeri debet, quod ortum solum explicat haemoptyseos asthenicae, in praxi multo rarioris; etenim individua penitus exhausta gravissimis jam pneumoniis tentata fuere, notaque est observatio; asthenia universalis fere praesente, in organo tamen quodam, inflammationem i. e. actionem ejus vita-

a) I. c. B. I. p. 184.

lem exaltatam existere posse. Ast potius, status irritabilitatis vasorum adactus, in connubio cum sanguine non abnormiter plastico (fors ob haematopoëeos munus in haemoptysi minus ac in pneumonitide infractum) efficere possunt, ut iu nonnullis casibus eadem dispositione eademque prophasi excitante non *pneumonia pura, genuina, sed pneumonia, sanguinis profluvio modificata*, illo criseos instar dijdicata exoriatur.

Alter haemoptyseos gradus, qui recentiori aevo apoplexia pulmonum non immerito nominatur, analogia ex simili cerebri affectione desumta, inducitur secundum cel. *Laennec* aut vasorum pulmonalium, antea jam aneurysmate aut varice prehensorum ruptura vel summa eorum laxitate atque vitalitate extincta. Juxta clar. viros *Hohnbaum* a) et *Lorinser* b), oriatur ex praepondio systematis vasorum super sistema nerveum, secundum cel. *Naumann* c) potius ex paralysi vasorum. Reconciliandae erunt fors hae sententiae, lege oppositionis dynamicae, qua sit ut actione vitali nervi vagi, sympathici et plexus pulmonalis quacunque demum ex causa evagante, adeoque irritabilitate vasorum his nervis subjectorum ad altiorem poten-

-
- a) C. Hohnbaum über den Lungenschlagfluss. u. a. w. Erlang 1817.
 b) Die Lehre von den Lungenerkrankh. p. 171.
 c) I. c. p. 186.

tiam evecta, vasis hincque cruro ad summum gradum oppilatis, per pressionem funiculorum bioticum principium ducentium functio eorumdem supprimatur, atque sic denegato horum in vasa influxu, quorum resistentia secus etiam per sanguinem nimium vinci debuit, et inse-
quente indirecto modo canalium sanguiferorum paralysi (an non quoque ruptione?) haemorrhœa ingens, ut sequatur, necesse est. — „Ne tamen quis credat, eam nobis inesse temerariam vanitatem ut prolatis circa nosogeniam et causam proximam ideis, omne scrutationis dubium solutum arbitremur. Non est quod protulimus, nisi tentamen, quod et si plures hiatus pluraque dubia relinquat majoris perspicaciae et experientiae viris facilius solvenda; juvabit tamen medicorum et tironum attentio-
nem in objectum adeo arduum figere. — Laudem quidem ac venerationem meretur candidum et modestum, quod nonnulli magni viri protulerunt, ignorantiae assertum; scientia tam-
en medica lucis et perfectionis ne hilum lu-
graretur, si cuncti eadem premerent vestigia.“^{a)}

Terminationes. b)

Haemopt. vel in sanitatem, vel in morbum aliud, vel in mortem transit. In salutem abit

a) Franc. Nob. ab. Hildenbr. Institut. pract. med. T. II
pag. 97.

b) Dissert. inaug. med. de pneumonorrhagia conscrip.
A. Pickler Post. 1833.

H. activa, gradus mitioris. Haec enim ex natura sua, cum summo aegri levamine in sanitatem tendit, si recens, non inveterata, causis levioribus facile amovendis producta sit: Sic morbus in individuo plethorico obveniens, dummodo causae haemorrhagias augere valentes evitenter, non secus ac epistaxis ex eodem fonte proveniens, — sic malum ex vicaria congestione in sequelam catameniorum aut haemorrhoidum suppressorum exortum in sanitatem nititur, — hoc idem evenit si morbus sit simplex, idiopathicus, sub periodo evolutionis, et absque laesione continui exortus; — Si sanguis amissus copia et frequentia non nimius aegri vires nedum exhauserit; si dispositio hereditaria desuerit.

Alios morbos praediligit H. (erethistica imprimis) dispositione mala jam antea praesente, methodo perversa tentata, duratione protracta, sanguinis jactura nimia praegressa; huc trahendae: febris inflammatoria cum pneumonia gravi, febris depascens, hydrops, asthma, phthisis, cachexiaeve aliae. Morte demum terminatur H. vel per morbos secundarios insanabiles, vel directo modo ex suppressa pulmonum functione per suffocationem (pneumonorrhagia *κατ' ἐξοχὴν*) vel per syncopen ex nimia nobilissimi laticis jactura (H. asthenica).

P r o g n o s i s.

Haemopt. semper periculosum sistit morbum. — Senio quidem confecti, profluvium sanguinis ex pulmonibus nisi nimis frequenter redeat, saepissime sine omni noxa perfere valent; in feminis tamen adultioris aetatis, in quibus menstruorum vices gerit, periculo maximo nuptum esse dicitur. Tristissimum est praesagium in haemoptysi juvenilia plectente individua (*haemopt. habitualis*) *a*), ideoque jam *Cous* senex haemopt. phthisimque quoad periculi gradum in unam collocavit morborum seriem. *b*) — Habitu phthisico magis evoluto, et recidivae accessuum frequentiores timendae. — Melius haruspicari poteris, si in phthisico-haemoptysicis fluxus oriatur haemorrhoidalis. In phthisicis, singulis quidem accessibus, parca effluit cruroris quantitatis, illisque quasi crisi utitur natura ad inflammationis impediendam evolutionem, postremo tamen phthisi evolutae succumbunt. Ideo multo minus periculi infert haem. in hominibus nulla pulmonum labe organica affectis, cuius exemplum memoratu dignum adfert *J. Frank* in *Iudaeo*, a septendecim annis ter per septimanam aecessu haemoptico, sine damno salutato. — Generatim vero *H.* etiam

a) *Morton*, Phthisiologia C. 5.

b) Hippocr. Aphor. Sect. III. num. 29. V. 9. VII. 15.
— Coac. praes. III. num. 260. —

in talibus, qui habitu destituuntur phthisico, phthisia invitat. — His sub circumstantiis phthisis multo ac secus celeriore habet decursum. — Leto proximi sunt apoplectici, sub paroxysmo pneumonorrhagiae, in primis internae. — Summe infaustum proferendum habemus vaticinium, si aeger sub strepitu quasi bulliente in profundo pectoris, vehementi tussi, imo vomitu insignem quantitatem sanguinis laete rubri fundit, si deliquia patitur, quibus profluvium non sistitur, si convulsiones intrent.

a) — Oppressio pectoris intolerabilis cum respiratione difficili, tussi molesta et feroci, pneumonitidem late extensam malignamque infausto omne praedicunt, praeprimis, si longe ante accessum hoemoptoicum tempore, vestigia pneumoniae chronicæ in homine latuerint. Raro quidem in haemoptysi, jactura sola sanguinis aegrum enecare valet, ast in pneumonorrhœis passivis in scorbuto nimirum et febri putrida occurribus, et haec neci inferendae sufficit. — In haemoptysi ex vulneratione praesagium non tam ominis mali est, uti primo videretur conspectu. — Vulnerationes tamen vasorum intercostalium et subclaviorum nec non pulmonum traumata, penes vasorum magnorum sanguis — et aëriserorum insertiōnem, orci faucibus inevitabili ratione, tradunt mortalem. — H. levis post montium cacumi-

a) P. Frank. I. c. §. 609.

numque ascensum exorta, nauci habenda. — Orto post *psyxi*m gravem morbo, qui febri tunc passim nectitur, ille crisibus solum perfecte dijudicari valet; quo in casu recidiva rarer et praesagium faustius. — Femellae haemoptoicae, Aretaeo jam monente *meliorem* admittunt prognosim sortis futurae ac viri, praesertim, quarum fluxus cruentus ex pulmonibus, lunae phasibus obtemperat. — Tussi, raucedine, dyspnoea et statu febrili pertinaciter remanentibus, recidivae haemorrhoeae sunt timendae. — Singulis saepe invasionibus blenorhoea chronica intercedit¹, post durationem longiorem, reproductionis munera laedens. — Sanguis laete ruber, densus, lardo crustaceo tectus, faustiorem aegro promittit valetudinem ac sanguis tenuis, nigricans, dissolutus. Cruor lateritus, pure, aut sanie remixtus phthisim evolutam designat. —

T h e r a p i a.

Indicationes generales.

1) *Remotio omnium influxuum proflurium provocare aut praesens jam exasperare ralentum.*

2) *Emenatio conditionis pathologicae, proflurium in pulmonibus sustentantis.*

3) *Immediata ecclisis suppressio, si per vehementiam suam vitae insidias struere conetur.*

4) *Praesente diathesi haemoptysi facente, ante illius perfectam evolutionem aeger ejusmodi vitae rationi tradatur, quae illius perfectio- ni ulteriori renititur.*

A) Cura H. activae.

1) *Sub invasione profluvii omnes potentiae ab aegro arcendae sunt, quae irritationem in pulmonibus adaugere possent.*

„Quis est adeo firmo et constanti animo, sic inquit *Aretaeus*, qui se jugulationi simile quoddam passum esse conspiciens, non futuram mortem vereatur et perhorrescat?“ Miti adeoque sermone aegrum consolemur, amicula illum arcte *cingentia* removeamus, collocemus illum ad cubile temperaturae frigidiusculae magis, ac solis radiis minus collustratum, atque alte posito capite ac pectore, misso omnium hypocau- storum stragulorumve onere, lectum ut petat, jubeamus: Simulatque his satisfactum, omni ab corporis motitatione ac sermocinatione per- bene caveat aeger. „Animi absit perturbatio, sed contra oblectamentis leniatur“ *Aret.* Aeger nil nisi decocta mucilaginosa, puta poscam *Hippo- cratis*, *Gummi arabicum*, decoctum aut infusum *altheae* frigidiuscule magis ac tepide, parvis ingerat dosibus.

2) *Status phlogisticus aut symphoreticus pul- monum, therapia antiinflammatoria impugnandus.*

Cum princeps antiphlogisticae methodi re- medium *venaesectio* constituat, haec in juniori-

bus praeprimis et plethoricis tempestive instituenda; a) Ejecta esto magna croris quantitate, nihilo secius tamen oppressione pectoris tussi, doloreve persistentibus, vena tundatur, etiam si extremitates frigidae, facies pallida, pulsus debilis (suppressus potius) fuerit. b) Magis adhuc *phlebotomiam* instituendi necessitas urget haemoptysi de repente maxima cum vehementia ingrediente, aut aegro sui ipsius inscio, antequam latex cruentus proruperit, collapso (pneumonorrhagia et apoplexia pulmonum); cum debilitas in hoc casu nequaquam vera, sicut *Laennec* et alii opinabantur, ast spuria, per plethoram topicam in pulmonibus praesentem obtinens habeatur. — Medici nonnulli initio venam brachialem, deinde vero saphenam secari suadent. c) quod supervacuum recentioribus videtur, nisi post suppressionem menstruorum vel haemorrhoidum, ubi in pede vas lubentius laedunt, ut crux stimulans, inferiora versus derivetur. Queis sub circumstantiis post *universalem sanguinis detractionem*, sanguisugas ad anum vel pudenda, aut cucurbitas hypochondriis, femoribus et regioni sacrae applicare amant practici. H. feminas sub ingressu annorum climacticorum angens, praeter regi-

a) Aphor. Sect. VII. n. 53.

b) Naumann l. c. p. 201.

c) Ludwig. Dissert. de rat. venae. in haemoptoicis in Advers. med. pract. P. I. p. 145.

men diaeteticum consentaneum juxta cl. Naumann saepius in pede repetitas reposcit venaesectio-nes. Senes, infantes, individua exhausta diffi-cilius perferunt quidem vitalis humoris jactu-ram, ast urgente casu indiscriminatim donec vires vitales id tantum concedant, vena secari debet; hirudinibus ne hilum quidem hicce age-re cum levamine valentibus. — Adfectionibus pectoris post venaesectionem factam, iterum iterumque recrudescentibus, pulsu simul pleno duroque aut suppresso, haec sine mora repeten-da erit a) — Decrescente vehementia frequen-tiave haemoptoicorum accessuum, morbus sicut pneumonia levioris gradus *emollientibus*, *diluen-tibus*, *refrigerantibus*; orgasmum *compescentibus* et *eccoproticis* tractatur. Huc quoque faciunt *nitrum* (ob dyscrasiam sanguinis plethoricam mi-nus evolutam, minoris ac in pnemonitide ge-nuina dignitatis) praecipue autem *acida vegeta-bilia* et *mineralia diluta* sic *acidum sulphuricum* *elixirium acidi Hal.* Casu *refrigerii diapnoica* leniora, quibus, cum alvus strictior sit, ecco-protica, exempli gratia decoctum *tamarindatum* cum *sulphate Soda* et clysmata aperitiva con-nectantur, laudem insignem merentur.

3. Febri nulla praesente, post praegressam *methodum antiphlogisticam* juxta morbi gradum diversum, fortiorum mitioremve, ad irritationis ex pulmonibus in organa ignobiliora derivandi

a) Stol. l. c. T. II. p. 191.

methodum transeundum esse, suadet ratio et experientia. Huc trahendae:

Frictiones leves cutis ope pannorum moderate calidorum, pediluvia, sinapismi suris impositi, cucurbitae ad scapulas; serius tantum emplastrum vesicatorium pectori, aut spatio inter scapulas sito, ad rubedinem cutis usque imponatur, cum irritatio non autem secretio morbosa ab organo adfecto illac traducenda sit.

4. *Directa profluvii suppressio in haemoptysi activa fere nunquam indicatur*, cum omnia coetui haemostaticorum pharmacorum adnumerata, statum irritationis in pulmonibus adaugendo, non solum profluvium non sistere valebunt, sed morbo novas vires addendo, periculi summam necessario augebunt. Illa itaque neque alia huic satisfacent remedia indicationi, quae incendium in pulmonibus compescendo agunt.

B. Cura *H. erethisticae*.

1-ma *Indicatio et rationes illam explendae eadem sicut in priori haemoptyseos specie.*

2. *Irritabilitas rasorum exaltata cura antiphlogistica est temperanda.*

Ast cum facultas stimulus percipiendi, et agilitas in reagendo, robur internum superent, hocque per detractionem humorum nobilium semper magis magisque imminuatur; hinc caute cum phlebotomiis tam quoad sanguinis copiam emittendi, quam etiam quoad frequentiam

eas repetendi, mercandum. Una plerumque venesectio ad quatuor usque quinque unciarum jacturam instituta sufficit, quae morbo praesertim recente, in individuis quoque sensibiliibus hujus vim frangere valet. Huic indicacioni satisfaciunt emollientia quoque, diluentia, eccoprotica, nitrum et acida vegetabilia atque *mineralia diluta*.

3. *Sensibilitas, agilitasque system. nervosi narcoticis, systematis vasorum acidis est moderanda.*

Digitalis purpurea actione sua temperante in systema vasorum specifice quasi directa primum hicce meretur locum, juxta clarissimum *Naumann a)* tunc in primis. si haemopt. phthiseos insecuritiae prodromon agat, simulque irritatio universalis jam mitigata sit. Hujus farinae porro sunt: *acidum hydrocyanicum et remedia atque praeparata illud tenentia, extractum hydrocyami et praeparata opii*, quae ultima, maxima sub cautela ac tunc tantum, si tussis molestissima aliis remediis cedere recusans, aegrum torqueat, in connubio cum *Ipecacuanha* porriganter.

4. Sub decursu morbi methodus derivans rubefacientibus et vesicantibus trahentibus instituta magni certe usus est.

5. De directa profluvii suppressione neque in hac haemoptyseos specie iisdem ex causis, quae in haemoptysi activa applicationem illius vetant, sermo esse potest.

a) l. c. p. 202.

6. *Cum haemopt. erethistica ut plurimum hae-reditario jure cum habitu phthisico conjuncta ocurrat, tali diathesi praesente, haec, prophylactica cura mature corrigenda erit.*

His sub rerum adjunctis organismus cautermandus et vicissitudinibus qualibuscumque demum, temperaturae imprimis resistendis parreddendus erit; Optima hoc scopo medela aqua frigida est, qua necessariis sub cautelis, ne refrigerium perpetiatur aeger, integrum corpus praeprimis vero pectus abluat; aestate autem balneis frigidis uti poterit. Habitū phthisico jam magis evoluto vitentur solertissime omnia, quae congestiones versus pulmones invitant. „Inimica sunt vinum, balnea, venus, calida et acria omnia.“ (*Celsus*) Absint animi affectus excitan tes et corporis adstrictiones improbae. Modera ta tamen corporis mentisque exercitia, sublucanis in primis horis, nunquam non prosunt. Porro laudantur rusticatio in planitiebus praesertim amplis, vitae regimen frigidiusculum, vestitus levis (pedibus tamen semper calidis servatis) alimenta digestui facile cedentia, alvum non obturantia, potulenta frigidiusula, acidula.

C. Cura H. passivae.

1. *Oinnes influxus, qui laxitatem in rasis pulmonum praesentem adaugere valerent, removendi aut saltem enervari debent.*

Huc in primis faciunt: Emendatio atmosphaerae; aër itaque in quo aeger spirat, sit

purus, siccus, oxygenio dives; aer nosocomialis carcerumve per ventilationes frequentes, mephiticus vero, aut alia ratione corruptus, per fumigationes recentissime a cel. *Guyton-Moreau* propositas, corrigatur. Cibis corruptis, non nutrientibus, eupepti substituantur. Vita pigra aegris stricte vetanda, animusque eorum tristis exhilarandus. Sub ipsa invasione eadem ratione aeger fere tractetur sicut in haemoptysi activa, ni emollientia et mucilaginosa demas, quibus melius aquam frigidam et fructus horaeos ac succos eorum acidos substitues.

2. *Profluvio nimis copioso obtinente, ita ut in viliae periculo haereat aeger, immediata illius suppressio, repercutientibus sic dictis et his in casum tentatis, adstringentibus remedii tentari debet.*

Pectori adeoque, fomenta aqua frigida imbuta vel ipsa *glacies contusa* imponantur. Ingerat aeger secundum *Frideric. Hoffmann* omni media hora octo usque decem uncias aquae semper *frigidioris*, pro re nata etiam fructus gelatos (*Gefroreneß*) consumere poterit. *Burserius* quoque a *Kanilfeld a)* et magnus *Pet. Frank* (*potus frigidus sensim gelidissimus*) hac ratione fluorem sisti debere contendunt. His non juvantibus *alumen* aliave hujus classis remedia in usum vocantur. Attamen omnibus hisce summa cum cautela et tunc solum utendum erit,

a) c. l. T. IV. p. 39.

si nec minima irritationis signa in pulmonibus adsint. Verum enim vero vel peregrina fa-villa, ἀχριθεῖα summa solum perceptibilis in respirationis organis gliscens hacce methodo in incendium facilime letiferum prorumpere vi-sa est.

3. *Debilitati vasorum pulmonalium roboran-tibus, atoniae eorumdem et laxitati adstringen-tibus est oppugnandum.* Ex tanta remediorum caterva sequentia in praxi usitatissima nobis enumerare animus est.

Acida mineralia diluta, *acidum sulphuri-cum, phosphoricum* et sic porro. *Alumen* (B. Aluminis grana duo, Gummi arabici grana quin-que, Sacchari albi scrupulum semis, omni altera hora pulv. unus. J. Frank); *Saccharum saturni* in casu desperatissimo a) omni tertia hora quadrantem grani partem. *Ferrum sulphu-ricum* in connubio cum *china*: omni hora duo vel tria grana. e. s. p.

a) Raynold in Richters Chirurg. Bibl. Ba. IX. pag. 410. — Hufeland Journ. B XX. Heft 1.

T H E S S.

1. *Systema vasorum totum in se ipso clausum est.*
 2. *Phthisis contagio propagari posse non dubito.*
 3. *Combustio, effectus electricitatis.*
 4. *Tubercula ex diversis imo contrariis causis oriri verosi-mile est.*
 5. *Dentitio non est morbus.*
 6. *Catarrhi plurimi contagium producere valent.*
-